



10/53


27/194

57 - 100.

APOPHORETA GAMICA
 Per eximii atque Præstantissimi
DN. CHRISTOPHORI
MOLLERI,
Gymnasii Gorlicensis Collegæ &
 Chori Musici Directoris merentissimi
S P O N S I,
^{Nec non}
 Omnium virtutum splendore splendidissimæ
 Virginis
DOROTHEÆ SCHNITTERIAE,
 Nobilissimi, Amplissimi Consultissimi que
DN. TOBIÆ SCHNITTERI,
 Scabini & Senatoris qvondam Gorlicensis
 primarii &c. Filiæ dilectissimæ
S P O N S Æ,
 Solenni Nuptiarum Festivitati 10. Octobris
 celebrandæ
Patronis, Fautoribus atq; Amicis
 amoris & honoris ergo Athenis Philurinis
 consecrata.
A. 15. Ic LXXI.

LIPSIÆ, Literis JOHANNIS GEORGII

IDN 9046141



SIc voti damnor, qvæque olim optaveram Amico,
Munificâ Jovæ nunc data cerno manu.
Scilicet uxorem vita formaqve probatam,
Et docto Spartam qvæ sit honora viro
Gaudeo, & ex animo fortunam grator utramque,
Atqve ab utraqve simul commoda mille precor.

Elegia Lipsiae

FRID RAPPOLT. SS. Theol. D. & Prof. Publ.
Coll. Major. Princ. Collegiatus, Alumn. Ele.
ctor. Ephorus, Præfulatus Cizens. Canonicus
& Nation. Misnicæ Senior.

FRigida si pugnant calidis, humentia siccis,
Humida siqve bibax pocula Cantor amat;
Miror ego, MYLIO placuisse Cupidinis ignes;
Humida nam siccus qvî Tuus ignis amet?
Sed scio, non Bacchum seqveris, non alta Cythera,
Et Tibi qvæ placuit, cœlica flamma fuit.
Hæc Te sola TUÆ junxit: Tu cætera semper
Inqve Thoro castus, sobrius inqve Choro.

In honorem Amici Veteris
Iusit

L. Val. Alberti, P. P.
Vide-

Viderat fessum Scholici laboris
Mole MOLLERUM Uranie, sonosq;
Musicos necdum resonare pectus,
Guttur ut ipsum.

Thracii qvidnam lyra dulcinervis
Vatis, & nostris oriunda cœlis
Musica est, inquit, nisi conqvarentur
Corcula cordis;
Corda, qvæ fidum resonant amorem,
Juncta concordi stabiliqve nexu,
Mulseas chordas superant, qvid: omnes
Musicæ honores.

Ergò MOLLERI harmonicos pudicis
Indidit fibris numeros, Suumque
Confono Donum jubet usqve mentis
Flectere motu,

Fallor: an dulcem facere illa pausam,
Voce lassata, jubet in puellâ
Cœlitùs missâ: jubet, hæc benigno
Pectore promens;

UT queas lassas REcreare Vires,
MI nepos, pausa, FACiliqve lusu
SOLvito curas, LATERI latusque
Molle copta!

LAbra se labris SOLident amicis,
FAtaq; avertant MIseras querelas,
REtui perstent UTi consonantes
Semper amores!

Dixit. En cantu melico Sorores
Succinunt; Colles quoque Görlicenses,

Cultus & qvondam Philomuso Elyster

Vota recentat.

DOMINO SPONSO Amico suo Veterrimo & Integerrimo

Harmonicum in amore conjugali concentum his

ipsis breviter & præproperé exoptabat Lipsiæ

L. Joachimus Fellerus, P. P. P.

Tandem dulcis amor suâ potitur,
Summi Numinis annuentis aurâ
Clarâ progenie satâ puellâ.

Hâc, cui lac pietatis & bonorum
Instillavit, ut addecebat ipsum,
Morum. Norât enim probatiorem
Selectamq; magis sibi futuram,
Qvam prodesse viros minus negabat.
Factum perbene! Magnus ille rerum
Rector (nam potis est) pium secundet
Cœptum, perficiatq;, Eum videre
Fœcundum thalamum, Deique donum
Cum Fautore tegat, suô & favore
Complectatur in urbe tot dierum
Intervalla, tenet rosas qvot orbis,
Qvot stellis facie polus superbit!
Par junctum vigeat, Deo favente,
Felix qvippe Maritus & Marita
Ulnæ deliciæ, decora Nympha!
Tandem vivat amor suâ potitâ
Summô Numine perfruens in ævum,
Claro stemmate qvæ sata est, puellâ.

Heo à uisib[il]i posuit sua dimidio animæ

M. Christianus Bötz/ Schol. Nicol.

Sen, Tertius.

In

IN Sophicis olim latuisti sedulus Antris
Conspiciens Philuram, portio lecta mihi.
Hoc vidit Natale solum, studiumq; probavit,
Et Te Phonascum legit agalma Scholæ.
Cura minus cessat Patriæ. Tibi namq; puellam
Cedentem nulli corpore & ore sttit.
Scilicet ut nōsses, nihil h̄c supereesse, medullas
Tangere qvod posset præter amare D E U M.
Gratulor his gradibus! Postremum Numen Olympi
Augeat, ut reliqvos multiplicetq; lares!
M. Elias Nathusius, Sch. Nicol. Senat. Lips. Cantor
& Coll. B. Mar. Virg. Colleg.

MÜLLERE CLARE, SPONSE,
Mülleriana vota
Musis sacrata facta
Dum sensit alma Plissa,
Tibi qvasi in cerebrō
Moletrina stare visa,
Moletrina vera visa
Sub verticis cavernis:
Cūm Spiritus volante
Rotas rotavit axe;
Cum far labor molendi
Mira paravit arte,
Reliqvumq; opus Minerva
Edocta finxit ipsa.
Qvod vidit alma Plissa,
Id omne & hisce vidi;
Qvin vidit omne Nissa,
Et credit omne Nissa,
Et dicit inde Nissa,
Molitoris esse nomen,
Tibi nomen omen ipsum:
Dum post probè probatam

molz

Molæ tuæ farinam,
Dicto modô molendô
Molitura vicit omne
Specimen, meretur omne m
Existimationem,
Ut Patriæq; laudem,
Sic omnium favorem,
SCHNITTERIAE Q; amorem;
SCHNITTERIAE sacrantis
Messem tibimet omnem,
SCHNITTERIAE parantis,
Scholâ tuâ potiri,
MULLERE CLARE, SPONSE,
MULLERE CLARE, SPONSE
Moletrina grata Jovæ,
Molitura grata cunctis,
Qvare minutiori
Hâc versuum Camœnâ,
Nunc grator, addo votum:
Molitura tota fausta,
Molitor sit usqve felix;
Molitrix sit usqve felix,
Moletrina tota fausta!
Nec Ilias malorum.
Nec duritas laborum,
Nec mons periculorum,
Nec pons molestiarum,
Famesve cum vehiclis,
Luesve cum maniplis
Vos tangat, angat unqvam,
Vos turbet, orbet usqvam!

Fauſtæ congratulationis ergò deproperabat
M. Johannes Michael Gießbier / Longo Salissâ Thur.
Gorlitium

GOrlitum genuit, Musarum nectare pavit
Mollerum Tenerum. Lipsia finis erat.
Lipsis eum misit, qvum dulcia lecta parentum
Hunc peterent Cœli non sine Patris ope.
Promtus erat rectè Patriis servire Camœnis.
Nec nihil, in Patria casta puella datur.
Terminus hic esto. Deus annuat optimus isti,
Et faciat finem cedere more tori!

Pauca hec antiquæ amicitiae debuit

Heinricus Kästnerus, N. P. C.
& Schol. Nic. Coll.

Dum mihi percipitur tua copula casta supremo
Grata, probata satis, lætor amore tui.
Hinc meditor breviter devotum nectere votum:
Ut tua sit semper tarda beata DEO !
Vivito ter felix lecta cum conjugé, vincens
Nestoreos auctus non sine fruge dies !

Georgius Ralla, Sch. Nicol. Coll.

Ignis amoris adest accendens Pectus amici,
Ut recolat Thalami fœdera sancta Deo.
Cedat, Amore Poli, bene flammula casta faventis
Et celebret festum non sine laude suum !
Immemor haud veteris Pietatis itemq; Favoris
Absens Plissa licet, gaudia mente videt.
Hinc vovet, ut Numen Bonitate suapte Jugatos
Lustret, & omnigena prosperitate beet.

Pauca hec devota mente fundit

Stephanus Jebsen, Phil. & SS.
Theol. Stud.

Corolla-

Corollaria Agnatorum

Fratis Sponsæ Johannis Schnitteri J. U. Cand.

Aure capace bibi certamen Amoris abundans,
Qvo Patriæ celebris Nissa superbit humus.
Spectatum veni, linqvens Argentea Castra
Pieridum, Votum proq; Salute tuli:
Annuat his pugnis exortâ luce Gamarcha
Selectæ BIGAE dans Bona mille Tori!

Fratis Sponsi Jeremiæ Mülleri, Philosophiæ Mag.
& SS. Theologiæ Studios.

Ruricolis sua Messis erat, moderante Parente
Ætheris, ut qvemvis exhilararet ope.
Frater amor, Tua Messis adest, Fautore Polarchâ,
Lumina qvâ poteris lætificare satis.
Prosiet Agricolis: nec BIGAE desiet usq;
Messa sit ad nutum scita farina molæ.



Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1006931 8